

**www.e-rara.ch**

## **Caii Svetonii Tranquilli Opera Quæ Exstant**

**Suetonius Tranquillus, Gaius**

**Basileæ, M DC LXXV**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25541>

[Caligula]

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



GERMANICUS \* C. Cæsar

pater, Drusi & minoris Antoniaë filius, à Tiberio patruo adoptatus, quæsturam quinquennio antè quàm per leges liceret, & post eam, consulatum statim gessit. Missusque ad exercitum in Germaniam, excessu Augusti nuntiato,

*Germanicus.* Egregiis nummis ille fuit decoratus, ob res præclare gestas, Cæsarisque dignitatem. Aureos argenteosq; & æreos in *Thes. nostro* vulgavimus, sed

longè plures ex ære mediocri. Ab ejus filio Cajo, fratreque Claudio Imperatorum factis, multi fuère restitui, è quibus hunc patris & filii faciebus insignitus est.



legiones universas imperatorem Tiberium pertinacissimè recusantes, & sibi summam Reipublicæ deferentes, incertum constantiâ an pietate majore, compefcuit: atque hoste mox devicto, triumphavit. Consul deinde iterum creatus, ac priusquàm honorem iniret ad componendum Orientis statum expulsus, cùm Armenia regem devicisset, Cappadociam in provinciæ formam redeçisset, annum ætatis agens quartum & trigessimum, diutino morbo Antiochiæ obiit, non sine veneni suspitione. Nam præter livores, qui toto corpore erant, & spumas quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est: cujus ea natura existimatur, ut tinctum veneno igne confici nequeat.

2. Obiit autem ut opinio fuit, fraude Tiberii, ministerio & operâ C. Pisonis. Qui sub idem tempus Syriæ præpositus, nec dissimulans offendendum sibi aut patrem, aut filium, quasi planè ita necesse esset, etiam ægrum Germanicum gravissimis verborum ac rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo, affecit: propter quæ ut Romam rediit, penè discerptus à populo, à Senatu capitis damnatus est.

3. Omnes Germanico corporis animique virtutes, & quantas nemini cuiquam, contigisse satis constat: formam & fortitudinem egregiam: ingenium in utroque eloquentiæ doctrinæq; genere præcellens: benevolentiam singularem: conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum & efficax studium. Formæ minùs congruebat gracilitas crurum, sed ea quoque paullatim repleta assiduâ equi vectatione post cibum.

Hostem

Hostem cominùs sæpè percussit. Oravit caussas etiam triumphaleis: atque inter cætera studiorum monumenta reliquit & comœdias græcas. Domi forisque civilis: libera ac fœderata oppida sine licitoribus adibat. Sicubi clarorum virorum sepulcra cognosceret, inferias Manibus dabat. Cæsorum clade Varianâ veteres ac dispersas reliquias uno tumulo humaturus, colligere suâ manu, & comportare primus aggressus est. Obrectatoribus etiam qualescùmque, & quantacùmque de causa nactus esset, lenis adèò & innoxius, ut Pisoni decreta sua rescindentem, clientelas diu vexanti, non priùs succensere in animum induxerit, quàm veneficiis quoque & devotionibus impugnari se comperisset: ac ne tunc quidem ultrà progressus, quàm ut & amicitiam ei more majorum renuntiaret, mandarètque domesticis ultionem, si quid sibi accideret.

4. Quarum virtutum fructum uberrimum tulit, sic probatus & dilectus à suis, ut Augustus, (omitto enim necessitudines reliquas) diu cunctatus an sibi successorem destinaret, adoptandum Tiberio dederit. Sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquò adveniret, vel sicunde discederet, præ turbâ occurrentium prosequentiùmve, nonnumquam eum discrimen vitæ adisse: è Germania verò, post compressam seditionem, revertenti, prætorianas cohortes universas prodisse obviam, quamvis pronuntiarum esset, ut duæ tantummodo exirent: populi autem Romani sexum, ætatem, ordinem omnem usque ad vicesimum lapidem effudisse se.

5. Tamen longè majora & firmiora de eo judicia in morte ac post mortem existere. Quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subversæ Deum aræ, Lares à quibusdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expositi. Quin & Barbaros ferunt, quibus intestinum, quibusque adversus nos bellum esset, velut in domestico communique mœrore consensisse ad inducias. Regulos quosdam barbam posuisse, & uxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus. \* Regum etiam Regem & exercitatione venandi, & convictu Megistanum abstinuisse, quod apud Parthos justitii instar est.

6. Romæ equidem, cum ad primam famam valetudinis attonita & mœsta civitas sequentes nuntios opperiretur, & repente jam vesperi incertis auctoribus convaluisset tandem percrebuisset: passim cum luminibus & victimis in Capitolium concursus est, ac penè revulsæ templi fores, ne quid gestientes vota reddere moraretur.

*Regum Regem.* Sic Parthi suum Principem nuncupavere quod etiam ex meis nummis Parthicis patet. Eos, si fata juvent, litterariæ Reipublicæ non denegabo. Rarissimum unum Vologæsi in *Thesauro* pridem explicavi p. 209. quem

dum reliqui sequantur, huc locandum curavi. Vologæsus Parthorum Rex à Suetonio commemoratur in Nerone, *cap. ultimo*, qui missus ad Senatum legatus de *instauranda societate*, hoc etiam magnoperè oravit, ut *Nerovis memoria* coleretur.



Expergefactus è fomno Tiberius est gratulantium vocibus atque undique concinentium, *Salva Roma, salva patria, saluus est Germanicus.* Sed ut demùm fato functum palàm factum est, non solatiis ullis, non ediētis inhiberi luctus publicus potuit, duravitque etiam per festos Decembris mensis dies. Auxit gloriam desideriumque defuncti etiam atrocitas insequentium temporum: cunctis nec temerè opinantibus, reverentiâ ejus ac metu repressam Tiberii sævitiam, quæ mox eruperit.

7. Habuit in matrimonio Agrippinam, M. Agrippæ & Juliæ filiam, & ex ea novem liberos tulit; quorum duo infantes adhuc rapti, unus jam puerascens, insigni festivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit. Augustus in cubiculo suo positam, quotiescùmque introiret, exosculabatur. Cæteri superstites patri fuerunt. Tres sexus fœminini, \* Agrippina, Drusilla, Livilla, continuo triennio natæ: totidem mares, Nero & Drusus & C. Cæsar. Neronem & Drusum senatus, Tiberio criminante, hostes judicavit.

*Agrippina, Drusilla, Julia.* Illas vides vidimus in auro & in ære parvo. De sub Dearum habitu Constantiæ, Pietatis, & Fortunæ. Typum similem eo differuimus in nummis ex ære medio, pag. 91.



8. C. Cæsar natus est pridie Kalend. Septembres, patre suo & C. Fontejo Capitone Co s s. Ubi natus sit, incertum diversitas tradentium facit. Cn. Lentulus Gætulicus Tiburi genitum scribit : Plinius secundus in Treveris vico Ambiatino supra confluentes : addit etiam pro argumento aras ibi ostendi inscriptas, O B AGRIPPINÆ PVERPERIVM. Versiculi, imperante mox eo, divulgati, apud hibernas legiones procreatum indicant :

*In castris natis, patriis nutritus in armis,  
Jam designati principis omen erat.*

Ego in Actis, Antii invenio editum. Gætulicum refellit Plinius, quasi mentitum per adulationem, ut ad laudes juvenis gloriofisque principis aliquid etiam ex Urbe Herculi sacrâ fumeret: abusumque audentiùs mendacio, quòd antè annum ferè natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus & ipse C. Cæsar : de cujus amabili pueritiâ immaturóque obitu supra diximus. Plinium arguit ratio temporum. Nam qui res Augusti memoriæ mandarunt, Germanicum exacto consulatu in Galliam missum consentiunt, jam nato Cajo. Nec Plinü opinionem inscriptio aræ quidquam adjuverit, cum Agrippina bis in ea regione filias enixa sit : & qualiscumq; partus, sine ullo sexus discrimine, *puerperium* vocetur : quòd antiqui etiam puellas *pueras*, sicut & pueros *puellos* dictarent. Exstat & Augusti epistola ante paucos quàm obiret menses, ad Agrippinam neptem ita scripta de Cajo hoc (neque enim quisquàm jam alius infans nomine

pari tunc supererat.) *Puerum Cajum XV. Kalend. Junii, si Dii volent, ut ducerent Talarinus & Asellius, heri cum his constitui. Mitto præterea cum eo ex servis meis medicum, quem scripsi Germanico, si vellet, ut retineret. Valebis mea Agrippina, & dabis operam ut valens pervenias ad Germanicum tuum.* Abundè arbitror patere, non potuisse ibi nasci Cajum, quò propè bimulus demùm perductus ab Urbe sit. Versiculorum quoque fidem eadem hæc elevant: & eò faciliùs quòd hi sine auctore sint. Sequenda igitur est quæ sola Actorum restat & publici instrumenti auctoritas: præsertim cùm Cajus Antium, omnibus semper locis atque secessibus prælatum, non aliter quàm natale solum dilexerit: tradaturque etiam sedem ac domicilium Imperii tædio Urbis transferre eò destinasse.

9. Caligulæ cognomen castrensi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. Apud quos quantum præterea per hanc nutrimentorum consuetudinem amore & gratiâ valuerit, maximè cognitum est: cùm post excessum Augusti tumultuantes & in furorem usque præcipites, solus haud dubiè conspectu suo flexit. Non enim priùs destiterunt quàm ablegari eum ob seditionis periculum, & in proximam civitatem demandari animadvertissent. Tunc demùm ad pœnitentiam versi, represso ac retento vehiculo, invidiam quæ sibi fieret deprecari sunt.

10. Comitatus est patrem & in Syriaca expeditione. Unde reversus primùm in matris, deinde eâ relegatâ, in

Liviæ Augustæ proaviæ suæ contubernio mansit: quam defunctam prætextatus etiam tum pro Rostris laudavit. Transiitque ad Antoniam aviam, & inde vicesimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio, uno atque eodem die togam sumpsit, barbâmq; posuit: sine ullo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum ejus. Hic omnibus insidiis tentatus elicientium, cogentiûmq; se ad querelas, nullam umquàm occasionem dedit: perinde oblitterato suorum casu, ac si nihil cuiquam accidisset: quæ verò ipse pateretur, incredibili dissimulatione transmittens. Tantique in avum, & qui juxta erant, obsequii, ut non immeritò sit dictum: *Nec servum meliorem ullum, nec deteriozem dominum fuisse.*

11. Naturam tamen sævam atq; probrosam nec tunc quidem inhibere poterat: quin & animadversionibus, pœnisque ad supplicium datorum cupidissimè interesset: & ganeas atque adulteria capillamento celatus, & veste longâ noctibus obiret: ac scenicas saltandi canendique artes studiosissimè appeteret: facilè id sanè Tiberio patiente, si per hâs mansuefieri posset ferum ejus ingenium. Quod sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, ut aliquoties prædicaret, *Exitio suo omniumque Cajum vivere: Et se natricem (serpentis id genus) populo Rom. Phaëthontem orbi terrarum educere.*

12. Non ita multo post Juniam Claudillam M. Silani nobilissimi viri filiam duxit uxorem. Deinde Augur in locum fratris sui Drusi destinatus, priùs quàm inauguraretur, ad pontificatum traductus est: insigni

testimonio pietatis atque indolis: cùm desertâ desolatâque reliquis subsidiis aulâ, Sejano verò tunc suspecto, mox & oppresso, ad spem successionis paullatim admoveretur. Quam quò magis confirmaret, amissâ Juniâ ex partu, Enniam Næviam Macronis uxorem, qui tum prætorianis cohortibus præerat, sollicitavit ad stuprum, pollicitus & matrimonium suum, si potitus imperio fuisset: deque ea re & jurejurando & chirographo cavit. Per hanc insinuatus Macroni, veneno Tiberium aggressus est, ut quidam opinantur: spirantique adhuc detrahi anulum: &, quoniam suspicionem retinentis dabat, pulvinum jussit injici: atque etiam fauces manu suâ oppressit: liberto, qui ob atrocitatem facinoris exclamaverat, confestim in crucem acto. Nec abhorret à veritate, quum sint quidam auctores, ipsum postea, & si non de perfecto, at certè de cogitato quondam parricidio professum. Gloriatum enim esse assiduè, in commemoranda sua pietate, *ad ulciscendam necem matris & fratrum, introisse se cum pugione cubiculum Tiberii dormientis: & misericordiâ correptum, abjecto ferro recessisse: nec illum, quamquam sensisset, aut inquirere quidquam aut exsequi ausum.*

13. Sic imperium adeptus, Populum Romanum vel, ut ita dicam, hominum genus, voti compotem fecit, exoptatissimus princeps maximæ parti provincialium ac militum, quòd infantem plerique cognoverant: sed & universæ plebi urbanæ, ob memoriam Germanici patris miserationemque propè afflictæ domus. Itaque ut à Miseno movit, quamvis lugentis habitu, & funus Tiberii

prosequens: tamen inter altaria & victimas, ardenteisque tedas, densissimo & lætissimo obviorum agmine incessit, super fausta nomina, *sidus & pullum, & puppum & alumnium* appellantium.

14. Ingressoque Urbem, statim consensu Senatus, & irrumpentis in Curiam turbæ, irritâ Tiberii voluntate, qui testamento \* alterum nepotem suum prætextatum adhuc coheredem ei dederat, jus arbitriûmque omnium rerum illi permissum est, tantâ publicâ lætitiâ, ut tribus proximis mensibus, ac ne totis quidem, supra centum sexaginta millia victimarum cæsa tradantur. Cùm deinde paucos post dies in proximas Campaniæ insulas trajecisset, vota pro reditu suscepta sunt: ne minimam quidem occasionem quoquam omittente in testificanda

*Alterum nepotem.* Drusus Tiberii ex Livilla duos susceperat gemellos, quorum alter, Gemellus, ut nomine sic re, infans mortuus est, cui alter Tiberius, non longè fuit superstes. Hac de re sic Autor noster, in *Tiber. cap. 54.* Cùm ex Germanico tres nepotes, Neronem, Drusum & Cajum, ex Druso unum *TIBERIVM* haberet, &c. Exultavit ipse Tiberius in

Senatu, nullum priorem fuisse jaçtans ex familia Cæsarum, qui præter suum Drusum duos filios gemellos procreâset. Geminos illos fratres exhibet hoc numisma cornubus copiæ impositos, intermedio caduceo, quo pax & abundantia, ab illis Principibus sperata significaretur. Moris semper fuit orientes principes sic venerari.



folicitudine

sollicitudine & cura de incolumitate ejus. Ut verò in adversam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa Palatium, non defuerunt qui depugnatos se armis pro salute ægri, quique capita sua titulo proposito voverent. Accessit ad immensum civium amorem notabilis etiam externorum favor. Namque Artabanus Parthorum rex, odium semper contemptumque Tiberii præ se ferens, amicitiam ejus ultrò petiit: venitque ad colloquium Legati consularis: & transgressus Euphratem, aquilas & signa Romana Cæsarumque imagines adoravit.

15. Incendebat & ipse studia hominum omni genere popularitatis. Tiberio cum plurimis lacrymis pro concione laudato funeratòque amplissimè, confestim Pandateriam, & Pontias, ad transferendos matris fratrisque cineres festinavit, tempestate turbidâ, quò magis pietas emereret: adiitque venerabundus, ac per semet in urnas condidit. Nec minore scenâ Ostiam, præfixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi subvectos, per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die duobus ferculis Mausoleo intulit. Inferiasque his annuâ religione publicè instituit: & eò amplius matri Circenses, \* carpentumque quo in pompa traduceretur. At in memoriam patris, Septembrem mensem *Germanicum* appellavit. Post hæc, Antoniaæ aviæ quidquid unquam Livia Augusta honorum cepisset, uno Senatus-consulto congeffit. Patrum Claudium equitem Roman. ad id tempus collegam sibi in consulatu assumpsit. Fratrem Tiberium die virilis

\* Ob angustiam spatii, notâ in sequentem paginam rejicitur.

togæ adoptavit, appellavitque *Principem juventutis*. De fororibus auctor fuit, ut omnibus sacramentis adjiceretur, *NE QVE ME LIBEROS QVE MEOS CARIORES HABEBO QVAM CAIVM ET SORORES EIVS*. Item relationibus consultum: *QVOD BONVM FELIX QVE SIT C. CAESARI SORORIBVS QVE EIVS*. Pari popularitate damnatos relegatosq; restituit: criminumq; si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit. Commentarios ad matris fratrumque suorum causas pertinentes, ne cui postmodum delatori aut testi maneret ullus metus, coniectos in forum, & ante clarè obtestatus deos neque legisse neque attigisse quicquam, concremavit. Libellum de salute sua oblatum non recepit, contendens, *Nihil sibi admissum cur cuiquam invisus esset*: negavitque se delatoribus aures habere.

*Carpentumque*. Id cernitur in egregio numismate à Cajo, cum Augustus renuntiatus esset, cuso; qui honores Juliae Augusti delatos viderur imitatus, eodem carpento donatæ. Idenim satis

manifestè innunt sequentia Autoris nostri verba, *Antonia avia quidquid unquam Livia Augusta honorum cepisset; uno Senatus-consulto congessit*. Alterum ab optimo TITO RESTITUTUM EST.



16. Spintrias monstrosarum libidinum ægrè, ne profundo mergeret, exoratus, Urbe submovit. Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta senatus-consultis abolita, requiri & esse in manibus lectitarique permisit: quando maximè sua interesset ut facta quæque posteris traduntur. Rationes imperii ab Augusto proponi solitas, sed à Tiberio intermissas, publicavit. Magistratibus liberam jurisdictionem, & sine sui appellatione concessit. Equites Romanos severè curiosèque, nec sine moderatione recognovit: palàm adempto equo, quibus aut probri aliquid aut ignominix inesset: eorum qui minore culpâ tenerentur, nominibus modo in recitatione præteritis. Ut levior labor judicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit. Tentavit & comitiorum more revocato, suffragia populo reddere. Legata ex testamento Tiberii, quamquam abolito, sed & Julix Augustæ, quod Tiberius suppresserat, cum fide, ac sine calumnia repræsentata persolvit. \* Ducentesimam auctionum Italiæ remisit.

*Ducentesimam auctionem Italia remisit.* Video dissentire Casaubonum & malle centesimam legere, cum ex uno M-S. codice, tum ex Dione sic scribente: τὸ τέλει τῆς ἐκατοστῆς κτείνουε. Nummulus geminato CC. quid indicaret præter

Ducentesimam, ut in nummo Galbæ R. XL. *Remissio quadragesimarum* nullo refragante significatur: Ducentesimæ vectigal erat aurei semissis à Tiberio institutum, quod sublatâ primùm centesimâ, Cajus in totum remisit.



Multis incendiorum damna supplevit: ac si quibus regna restituit, adjecit & fructum omnem vectigaliorum, & redditum medii temporis, ut Antiocho Comageno HS. millies confiscatum. Quóque magis nullius non boni exempli fautor videretur, mulieri libertinus octoginta donavit, quòd excruciatam gravissimis tormentis de scelere patroni reticuisset. Quas ob res inter reliquos honores decretus est ei clypeus aureus: quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent: Senatu prosequente: nobilesque pueris ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum ejus canentibus. Decretum autem ut dies quo cepisset imperium, *Palilia* vocaretur, velut argumentum rursus conditæ Urbis.

17. Consulatus quatuor gessit: primum ex Kalend. Julii per duos menses: secundum ex Kalend. Januariis per triginta dies: tertium usque in Idus Januarii: quartum usque in VII. Idus easdem. Ex omnibus duos novissimos conjunxit. Tertium autem Lugduni iniiit solus: non, ut quidam opinantur, superbiâ negligentia<sup>ve</sup>, sed quòd defunctum sub Kalendarum diem collegam rescisse absens non potuerat. Congiarium populo bis dedit trecenos H-S: toties abundantissimum epulum Senatui equestrique ordini, etiam conjugibus ac liberis utrorúmque. Posteriore epulo, forensia in super viris, pueris ac foeminis fascias purpuræ ac conchylii distribuit. Et ut lætitiâ publicam in perpetuum quoque augeret, adjecit diem Saturnalibus, appellavitque *Juvenalem*.

18. Munera gladiatoria partim in Amphitheatro Tauri, partim in Septis aliquot edidit: quibus inseruit catervas Afrorum Campanorumque pugilum ex utraque regione electissimorum. Neque spectaculis ipse semper praesedit: sed interdum aut magistratibus aut amicis praesidendi munus injunxit. Scenicos ludos & assidue, varii generis, multifariam fecit, quondam etiam & nocturnos, accensis tota Urbe luminibus. Sparfit & missilia variarum rerum, & panaria cum opsonio viritim divisit. Qua epulatione equiti Romano contra se hilarius avidiusque vescenti, partes suas misit: sed & senatori ob eandem causam codicillos, quibus praetorem eum extra ordinem designabat. Edidit & Circenses plurimos à mane usque ad vesperam, interjecta modo Africanarum venatione, modo Trojae decursione, quosdam autem praecipuos, minio & chryfocollâ constrato Circo: nec ullis nisi ex senatorio ordine aurigantibus. Commisit & subitos, & cum è Gelotiana apparatus Circi prospicientem pauci ex proximis Maenianis postulassent.

19. Novum praeterea atque inauditum genus spectaculi excogitavit. Nam Bajarum medium intervallum Puteolanae ad moles trium, millium & sexcentorum fere passuum ponte conjunxit, contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad ancoras collocatis, superjectoque aggere terreno, ac directo in Appiae viae formam. Per hunc pontem ultrò citròque commeavit, biduo continenti. Primo de phalerato equo, insignisque quercicâ coronâ, & securi, & cetrâ, & gladio, aureaque chlamyde. Postridie quadrigario habitu, curriculòque

bijugi famosorum equorum, præ se ferens Darium puerum ex Parthorum obsidibus: comitante prætorianorum agmine, & in cædis cohorte amicorum. Scio pleròsque existimasse, talem à Cajo pontem excogitatum æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquantò angustiorum Hellepontum contabulaverit. Alios, ut Germaniam & Britanniam, quibus imminerebat, alicujus immensi operis fama territaret. Sed avum meum narrantem puer audiebam, causam operis ab interioribus aulicis proditam, quòd Thrasyllus mathematicus, anxio de successore Tiberio, & in verum nepotem proniori, affirmasset, *Non magis Cajum imperaturum, quàm per Bajanum sinum equis discursurum.*

20. Edidit & peregrè spectacula; in Sicilia Syracusis hasticos ludos, & in Gallia Lugduni miscellos. Sed & certamen quoque græcæ latinæque facundiæ. Quo certamine ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorundem & laudes componere coactos. Eos autem qui maximè displicuissent, scripta sua spongia linguæve delere jussos, nisi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi maluissent.

21. Opera sub Tiberio semiperfecta templum Augusti theatrumque Pompeji absolvit. Inchoavit autem aquæductum regione Tiburi, & Amphitheatrum juxta Septa: quorum operum à successore ejus Claudio, alterum peractum, ommissum alterum est. Syracusis collapsa vetustate mœnia, Deorumque ædes resectæ. Destinaverat &

Sami Polycratis regiam restituere, \* Miletì Didymeum peragere, in jugo Alpium Urbem condere, sed ante omnia Isthmum in Achaja perfodere. Miserátque jam ad demetiendum opus primipilarem.

22. Hactenus quasi de principe, reliqua ut de monstro, narranda sunt. Compluribus cognominibus assumptis, (nam & PIVS, & CASTRORVM FILIVS, & PATER EXERCITVVM, & OPT. MAX. CÆSAR vocabatur,) cùm audiret forte Reges, qui officii causâ in Urbem advenerant, concertantes apud se super cœnam de nobilitate generis, exclamavit, \* Εἰς χθώραν ἔσω, Εἰς βασιλῆς. Nec multum abfuit quin statim diadema fumeret, speciémque principatus in regni formam converteret. Verùm admonitus, & principum & regum se excessisse fastigium, divinam ex eo majestatem asserere sibi cœpit. Datóque negotio, ut simulacra numinum religione & arte præclará, inter quæ Olympici Jovis, apportarentur è Græcia, quibus capite dempto suum imponeret, partem palatii ad Forum usque promovit, atque æde Castoris & Pollucis in vestibulum transfiguratâ,

*Unus Imperator sit, unus Rex.*

*Miletì Didymaum peragere destinaverat. ille græcus, quem inter æreos medio-  
Hunc locum mirè illustrax nummus cres explicavimus, pag. 94.*



consistens sæpè inter fratres deos medium se adorandum  
adeuntibus exhibebat: & quidam eum LATIALEM  
JOVEM consalutaverunt. Templum etiam numini  
suo proprium, & sacerdotes & excogitatissimas hostias  
instituit. In templo simulacrum stabat aureum iconicum:  
Amiciebaturque quotidie veste, quali ipse uteretur.  
Magisteria sacerdotii ditissimus quisque & ambitione &  
licitatione maximâ vicibus comparabant. Hostiæ erant  
phœnicopteri, pavones, tetraones, Numidicæ, meleagrides,  
phasianæ, quæ generatim per singulos dies immolarentur.  
Et noctibus quidem plenam fulgentemque lunam  
invitabat assiduè in amplexus atque concubitum: interdium  
verò cum Capitolino Jove secretò fabulabatur, modò  
infusurrans, ac præbens invicem aures, modò clariùs, nec  
sine jurgiis. Nam vox comminantis audita est,

\* Εἰς γαῖαν Δαναῶν πέσσωσε,

Donec exoratus, ut referebat, & in contubernium  
ultrò invitatus, super templum Divi Augusti ponte  
transmisso, Palatium Capitoliumque conjunxit. Mox  
quò propior esset, in area Capitolina novæ domus  
fundamenta jecit.

23. Agrippæ se nepotem neque credi, neque dici ob  
ignobilitatem ejus volebat, succensebaturque, si qui vel  
oratione vel carmine imaginibus eum Cæsarum infererent.  
Prædicabat autem matrem suam ex incesto quod Augustus  
cum Julia filia commisisset, procreatam. Ac non  
contentus hac Augusti infectatione, Actiacas Siculasque  
victorias, ut funestas Populo Romæ & calamitosas, vetuit

*In terram Græcorum transmittam te.*

solennibus

solennibus feriis celebrari. Liviam Augustam proaviam, *Ulysses stolatum*, identidem appellans, etiam ignobilitatis quâdam ad senatum epistolâ arguere ausus est, quasi materno avo Decurione Fundano ortam: cum publicis monumentis certum sit Aufidium Lingonem Romæ honoribus functum. \* Avix Antonix secretum petenti denegavit, nisi ut interveniret Macro præfectus. Ac per istiusmodi indignitates & tædia, causa exstitit mortis: dato tamen, ut quidam putant, & veneno. Nec defunctæ ullum honorem habuit: prospexitque è triclinio ardentem rogum. Fratrem Tiberium inopinantem, repente immisso tribuno militum, interemit. Silanum item focerum ad necem, secandâsq; novacula fauces, compulit: caussatus in utroque, quod hic ingressum se turbatius mare non esset secutus, ac spe occupandi Urbem, si quid sibi per tempestates accideret, remansisset: ille antidotum oboluisse, quasi ad præcavenda venena sua sumptum: cum & Silanus impatientiam nausæ vitasset & molestiam navigandi, & Tiberius propter assiduam & ingravescentem tussim medicamento usus esset. Nam Claudium patrum non nisi in ludibrium reservavit.

24. \* Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit: plenôque convivio singulas infra se vicissim collocabat, uxore supra cubante. Ex his

*Avia Antonia.* Ejus nummos exhibebimus, in Claudii vita, cap. 3. quod ipse eos cudi curârit, cum illa interim neglectui à Cajo haberetur, ut Auctoris nostri verba, arguunt; *Nec defunctæ ullum honorem habuit:* quamvis Antonia

*avia quidquid unquam Livia Augusta honorum cepisset uno Senatus-consulto congesisse,* scribat Auctor noster. In Cajo cap. 15.

*Cum omnibus sororibus suis.* Agrippina, Drusilla, Julia, quarum conjunctim nummum supra exposuimus, pag. 203.

Drusillam vitiasse virginem, prætextatus adhuc, creditur. Atque etiam in concubitu ejus quondam deprehensus ab avia Antonia, apud quam simul educabantur. Mox Lucio Cassio Longino consulari collocatam abduxit, & in modum justæ uxoris propalàm habuit. Heredem quoque bonorum atque imperii æger instituit. Eâdem defunctâ, justitium indixit: in quo risisse, lavisse, cœnasse cum parentibus, aut conjuge, liberisve, capitale fuit. Ac mœroris impatiens, cùm repentè noctùque profugisset ab Urbe, transcurrissetque Campaniam, Syracusas petiit. Rursusque inde properè rediit, barbâ capillóque promisso. Nec umquam postea quantiscumque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites nisi *per* \* *numen Drusilla* dejeravit. Reliquas forores, nec cupiditate tantâ, nec dignatione dilexit, ut quas sæpè exoletis suis prostraverit. Quò facilius eas in

*Per numen Drusilla.* Per numen scribi debere non per nomen mirificè probant hi duo rarissimi nummi, quibus Drusilla indigitatur Dea, addito insuper JVLIA DRVSILLÆ simulacro ejus atque Caligulæ filiæ: de qua ne 30<sup>o</sup> quidem apud Antiquos reperi. Videtur illud factum fuisse ad imitationem filii Germanici

Agrippinæque, de quo sic Autor noster, in Augusto, cap. 7. *Puerascens rapti, insigni festivitate, effigiem habitu Cupidinis in ade Capitolina Veneris Livia dedicavit. Augustus in cubiculo suo positum, quotiescunque introiret, exosculabatur.* Altera quidem ejus ex Cæsonia filia legitur, c. 25. quam huc referri non arbitror.



caussa Æmilii Lepidi condemnavit, quasi adulteras, & infidiarum adversus se conscias. Nec solum chirographa omnium requisita fraude ac stupro divulgavit, sed & tres gladios in necem suam præparatos Marti ultori, addito elogio, consecravit.

25. Matrimonia contraxerit turpius, an dimiserit, an tenuerit, non est facile discernere. Liviam Orestillam C. Pisoni nubentem, cum ad officium & ipse venisset, ad se deduci imperavit, intraque paucos dies repudiatam biennio post relegavit: quod repetisse usum prioris mariti tempore medio videbatur. Alii tradunt, adhibitum cœnæ nuptiali, mandasse ad Pisonem, contra accumbentem, *Noli uxorem meam premere*: statimque è convivio abduxisse eam secum, & proximo die edixisse, *MATRIMONIUM SIBI REPERTVM EXEMPLO ROMVLI ET AVGVSTI*. Lolliam Paullinam, C. Memmio consulari exercitus regenti, nuptam, factâ mentione aviæ ejus, ut quondam pulcherrimæ, subito ex provincia evocavit, ac perductam à marito conjunxit sibi brevi que missam fecit, interdicto cujusquam in perpetuum coitu. Cæsoniam neque facie insigni, neque ætate integrâ, matrêmque jam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ ac lasciviæ perditæ, & ardentius & constantius amavit: ut sæpè chlamyde peltâque & galeâ ornatam, & juxta adequitantem, militibus ostenderit, amicis verò etiam nudam. Quam enixam uxorio nomine dignatus est, uno atque eodem die professus, & maritum se ejus, & patrem infantis ex ea natæ. Infantem

autem Juliam Drusillam appellatam, per omnium dearum templa circumferens, Minervæ gremio imposuit, alendamque & instituendam commendavit. Nec ullo firmiore indicio sui seminis esse credebat, quàm feritatis: quæ illi quoque tanta jam tunc erat, ut infestis digitis, ora & oculos simul ludentium infantium incesset.

26. Leve ac frigidum sit his addere quo propinquos amicósque pacto tractaverit. \* Ptolemæum regis Jubæ filium, consobrinum suum (erat enim & is M. Antonii ex Selena filia nepos) & in primis ipsum Macronem, ipsam Enniam, adjuutores imperii, quibus omnibus pro necessitudinis jure, próque meritorum, gratia cruenta mors perfoluta est. Nihilo reverentior leniörve erga Senatum: quosdam summis honoribus functos, ad effedum sibi occurrere togatos per aliquot passuum millia, & cœnanti, modò ad pluteum, modò ad pedes

*Ptolemaum Regis Juba filium.* Juba Mauretaniæ Rex Pompeianarum partium à Julio Dictatore victus, filium habuit Jubam M. Antonii & Cleopatræ generum, quippe cui filiam suam Cleopatram, quam Selenam Suetonius

aliique appellant, quasi Lunam & Isidem, in matrimonium collocaverint, ex quo conjugio natus est Ptolemæus à Caligula necatus, de quo vide infra cap. 35. Hunc cum patre & avo ex nummis antiquis hîc producimus.



stare succinctos linteo, passus est: alios cum clam interemisset, citare nihilo minus ut vivos perseveraverit, paucos post dies voluntaria morte periisse mentitus. Consulibus oblitis de natali suo edicere, abrogavit magistratum, fuitque per triduum sine summa potestate Respubl. Quæstorem suum in conjuratione nominatum flagellavit veste detractâ, subjectâque militum pedibus, quò firmè verberaturi insisterent. Simili superbiâ violentiâque cæteros tractavit ordines. Inquietatus fremitu gratuita in Circo loca de media nocte occupantium, omnes fustibus abegit. Elisique per eum tumultum viginti amplius equites Romani, totidem matronæ, super innumeram turbam cæteram. Scenicis ludis, inter plebem & equitem causam discordiarum ferens, decimas maturius dabat, ut equestria ab infimo quoque occuparentur. Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo Sole velis, emitti quemquam vetabat: remotoque ordinario apparatu, rabidis feris vilissimos senio confectos, gladiatores quoque pegmares, patres-familiarum notos, sed insignes debilitate aliquâ corporis, subiciebat. Ac nonnumquam horreis præclusis, populo famem indixit.

27. Sævitiæ ingenii per hæc maximè ostendit. Cum ad saginam ferarum muneri præparatarum carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotavit: & custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, stans tantummodo intra porticum mediam, à calvo ad calvum duci imperavit. Votum exegit ab eo qui pro salute sua gladiatoriam operam promiserat:

ſpectavitque ferro dimicantem: nec dimiſit niſi victorem, & poſt multas preces. Alterum qui ſe periturum ea de cauſa voverat, cunctantem pueris tradidit verbenatum infulatumque, qui votum reſcences per vicos agerent, quoad præcipitaretur exaggere. Multos honeſti ordinis, deformatos priùs ſtigmatum notis, ad metalla aut ad viarum munitiones, aut ad beſtias condemnavit, aut beſtiarum more quadrupedes caveâ coërcuit, aut medios ferrâ diſſecuit. Nec omnes gravibus ex cauſis, verùm malè de munere ſuo opinatos, vel quòd numquam *per Genium ſuum* dejeraffent. Parentes ſupplicio filiorum intereſſe cogebat. Quorum uni valetudinem excuſanti lecticam miſit: alium è ſpectaculo pœnæ, epulis ſtatim adhibuit, atque omni comitate ad hilaritatem & jocos provocavit. Curatorem munerum ac venationum per continuos dies in conſpectu ſuo catenis verberatum non priùs occidit, quàm offenſus putrefacti cerebri odore. Atellanæ poëtam, ob ambigui joci verſiculum, mediâ Amphitheatri harenâ igni cremavit. Equitem Romanum objectum feris, cùm ſe innocentem proclamaffet, reduxit: abſciſſâque linguâ, ruruſus induxit.

28. Revocatum quendam à veterè exſilio ſciſcitatus, quidnam ibi facere conſueſſet, reſpondente eo per adulationem: *Deos ſemper oravi, ut quod evenit, periret Tiberius, & tu imperares*: opinans ſibi quoque exſules ſuos mortem imprecari, miſit circum inſulas, qui univerſos contrucidarent. Cùm diſcerpi ſenatorem concupiſſet, ſubornavit qui ingredientem Curiam, repente hoſtem publicum appellantes, invaderent,

graphiisque confossum lacerandum cæteris traderent: Nec ante satiatus est quàm membra & artus & viscera hominis tracta per vicos, atque ante se congesta vidisset.

29. Immanissima facta augebat atrocitate verborum. *Nihil magis in natura sua laudare se ac probare dicebat, quàm, ut ipsius verbo utar,* \* *ἀδραγγεΐσαν.* Monenti Antonix avix, tanquam parum esset non obedire: *Memento, ait, omnia mihi & homini licere.* Trucidaturus fratrem, quem metu venenorum præmuniri medicamentis suspicabatur: *Antidotum, inquit, adversus Casarem?* Relegatis sororibus, *non solum insulas habere se, sed etiam gladios minabatur.* Prætorium virum ex secessu Anticyræ, quam valetudinis causâ petierat, propagari sibi commeatum sæpius desiderantem, cum mandasset interimi, adjecit, *Necessariam esse sanguinis missionem, cui tam diu non prodesset elleborum.* Decimo quoque die, numerum puniendorum ex custodia subscribens, *Rationem se purgare dicebat.* Gallis Græcisque aliquot uno tempore condemnatis, gloriabatur *Gallogræciam sese subegisse.*

30. Non temerè in quemquam, nisi crebris & minutis ictibus animadverti passus est: perpetuo notoque jam præcepto, *Ita feri, ut se mori sentiat.* Punito per errorem nominis alio quàm quem destinaverat, ipsum quoque paria meruisse dixit. Tragicum illud subinde jactabat, *Oderint dum metuant.*

Sæpe in cunctos pariter senatores, ut Sejani clientes,

*Inverecundiam.*

aut matris ac fratrum suorum delatores, investus est: prolatis libellis, quos crematos simulaverat, defensaque Tiberii sævitiâ quasi necessariâ, cum tot criminantibus credendum esset. Equestrem ordinem, ut scenæ harenæq; devotum assidue proscidit. Infensus turbæ faventi adversus studium suum exclamavit: *Utinam Populus Roman. unam cervicem haberet!* Cumque Tetrinius latro postularetur, & qui postularent, *Tetrinios esse* ait. Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine ullo totidem secutoribus succubuerant: cum occidi juberentur, unus resumptâ fuscinâ, omnes victores interemit. Hanc ut crudelissimam cædem & deslevit edicto, & eos qui spectare sustinuisent, execratus est.

31. Queri etiam palàm de conditione temporum suorum solebat: *quòd nullis calamitatibus publicis insignirentur.* Augusti principatum clade Varianâ: Tiberii, ruinâ spectaculorum apud Fidenas, memorabile factum: sui oblivionem imminere prosperitate rerum. Atque identidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatus aliquem terræ optabat.

32. Animum quoque remittenti, ludôque & epulis dedito, eadem dictorum factorumque sævitiâ aderat. Sæpè in conspectu prandentis vel commissantis seriæ quæstiones per tormenta habebantur. Miles decollandi artifex quibuscumque è custodia capita amputabat. Puteolis dedicatione pontis, quem excogitatum ab eo significavimus, cum multos è litore invitasset ad se, repente

repente omnes præcipitavit. Quosdam gubernacula apprehendentes, contis remisque detrudit in mare. Romæ publico epulo servum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confestim tradidit, ut manibus abscissis, atque ante pectus è collo pendentibus, præcedente titulo qui causam poenæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. Mirmillonem è ludo rudibus secum batuentem, & sponte prostratum, confodit ferreâ sicâ, ac more victorum cum palma discucurrit. Admotâ altaribus victimâ, succinctus poparum habitu, elato altè malleo, cultrarium mactavit. Lautiore convivio effusus subito in cachinnos, Co s s. qui juxta cubabant, quidnam rideret blandè quærentibus: *Quid, inquit, nisi uno meo nutu jugulari utrumque vestrum statim posse?*

33. Inter varios jocos, cum assistens simulacra Jovis Apellem tragœdum consuluisse, uter illi major videretur, cunctantem flagellis discidit: collaudans subinde vocem deprecantis, quasi etiam in gemitu prædulcem. Quoties uxoris vel amiculae collum exosculetur, addebat, *Tam bona cervix, simulac jussero, demetur.* Quin & subinde jaectabat, *Exquisiturum se vel fidiculis de Casonia sua, cur eam tanto opere diligeret.*

34. Nec minore livore ac malignitate quàm superbiâ sævitiâque pene adversus omnis ævi homines grassatus est. Statuſ virorum illustrium, ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium campum collatas, ita subvertit atque disjecit, ut restitui salvis titulis non valuerint. Vetuitque posthac viventium cuiquam

usquam \* statuam aut imaginem, nisi consulto se & auctore, poni. Cogitavit etiam de Homeri carminibus abolendis. *Cur enim sibi non licere, dicens, quod Platoni licuit, qui eum è civitate quam constituebat, ejecerit?* Sed & Virgilii & Titi Livii scripta & imagines, paullum abfuit quin ex omnibus bibliothecis amoverit: quorum alterum, *ut nullius ingenii, minimaque doctrinae*: alterum, *ut verbosum in historia negligentemque* carpebat. De juris quoque consultis, quasi sententiæ eorum omnem usum aboliturus sæpe jactavit, *Se, me hercle, effecturum, ne quid respondere possent præter eum.*

35. Vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit: Torquato torquem: Cincinnato crinem: Cn. Pompejo stirpis antiquæ, *Magni* cognomen. Ptolemæum de quo retuli, & accersitum è regno, & exceptum honorificè, non alia de causa repente percussit, quàm quòd edente se munus, ingressum spectacula, convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animadvertit. Pulcros & comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. Erat Esius Proculus patre primipilari, ob egregiam corporis amplitudinem & speciem *Colossos* dictus. Hunc è spectaculis detractum, repente & in harenam deductum, Thraci: & mox hoplomacho comparavit: bisque victorem constringi sine mora jussit: & pannis oblitum vicatim circumduci, ac mulieribus

*Statuam aut imaginem poni.* Non immeritò Senatus istius Tyranni statuas dejecit, nummósque conflavit. Suæ integritatis in cives Romanos, eorumque imagines sævitia & ipse pœnas dedit, dum à suis confossus, atque etiam à posteris diris omnibus devotus est, quæ fors tyrannos omnes manet.

ostendi, deinde jugulari. Nullus denique tam abjectæ conditionis, tamque extremæ fortis fuit, cujus non commodis obtreçtaret. Nemorensi regi, quòd multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit. Cum quodam die muneris, essedario Porio, post prosperam pugnam servum suum manu mittenti studiosius plausum esset, ita se proripuit è spectaculis, ut calcatâ laciniâ togæ, præceps per gradus iret indignabundus, & clamitans, *Dominum gentium Populum ex re levissima plus honoris gladiatori tribuentem, quàm consecratis principibus, aut presenti sibi.*

36. Pudicitia neque suæ neque alienæ pepercit. M. Lepidum Mnesterem pantomimum, quosdam obsides dilexisse fertur, commercio mutui stupri. Valerius Catullus consulari familiâ juvenis, stupratum à se, ac latera sibi contubernio ejus defessa, etiam vociferatus est. Super Sororum incesta, & notissimum prostitutæ Pyralidis amorem, non temerè ullâ illustriore fœminâ abstinuit: quas plerùmque cum maritis ad cœnam vocatas, præterque pedes suos transeuntes diligenter, ac lentè, mercantium more considerabat: etiam faciem manu allevans, si quæ pudore submitteret. Quoties deinde libuisset egressus triclinio, cum maximè placidam se vocasset, paullo post recentibus adhuc lasciviæ notis, reversus vel laudabat palàm, vel vituperabat: singula numerans bona malæve corporis, atque concubitus. Quibusdam, absentium maritorum nomine, repudium ipse misit, jussitque in Acta referri.

37. Nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superavit: commentus novum balnearum usum, portentosissima genera ciborum, atque cœnarum: ut calidis frigidisque unguentis lavaretur: pretiosissimas margaritas aceto liquefactas forberet: convivis ex auro panes & obsonia apponeret: *aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Cæsarem.* Quin & nummos non mediocris summæ è fastigio basilicæ Juliæ per aliquot dies sparsit in plebem. Fabricavit & de cedris Liburnicas, geminatis puppibus: versicoloribus velis: magnâ thermarum & porticum & tricliniorum laxitate, magnâq; etiam vitium & pomiferarum arborum varietate: quibus discumbens de die inter choros ac symphonias, litora Campaniæ peragraret. In exstructionibus prætoriorum atque villarum omni ratione posthabitâ, nihil tam efficere concupiscebat, quàm quòd posse effici negaretur. Et jactæ itaque moles infesto ac profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata fossuris montium juga incredibili quidem celeritate, cùm moræ culpa capite lueretur. Ac ne singula enumerem, immensas opes, totumque illud Tiberii Cæsaris, vicies ac septies millies H-S. non toto vertente anno absumpsit.

38. Exhaustus igitur atque egens, ad rapinas convertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum & auctiorum & vectigalium genere. Negabat jure civitatem Romanam usurpare eos quorum majores sibi posterisque eam impetrassent, nisi filii essent. Neque enim intelligi debere posteros ultra hunc gradum.

Prolatâque Divorum Julii & Augusti diplomata, ut vetera & obsoleta deflebat. Arguebat & perperam editos census, quibus postea quacumque de causa quidquam incrementi accessisset. Testamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii, neque illum, neque se heredem reliquissent, ut ingrata rescidit. Item cæterorum, ut irrita & vanâ, quoscumque quis diceret herede Cæsare mori destinasse. Quo metu injecto, cum jam & ab ignotis inter familiares, & à parentibus inter liberos palàm heres nuncuparetur, derisores vocabat: quòd post nuncupationem vivere perseverarent, & multis venenatas macteas misit. Cognoscebat autem de talibus causis, taxato priùs modo summæ, ad quem conficiendum consideret, confecto demùm excitabatur. Ac ne paullulùm quidem moræ patiens, super quadraginta reos quondam ex diversis criminibus unâ sententiâ condemnavit, gloriatusque est expergefactæ somno Cæsoniæ, *quantum egisset, dum ea meridiaret.* Auctione propositâ, reliquias omnium spectaculorum subjecit, & venditavit: exquirens per se pretia, & usque eò extendens, ut quidam immenso coacti quædam emere, ac bonis exuti venas sibi inciderent. Nota res est, Aponio Saturnino inter subsellia dormitante, monitum à Cajo præconem, ne prætorium virum crebro capitis motu nutantem sibi præteriret: nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores H.S. nonagies ignorantibus addicerentur.

39. In Gallia quoque, cum damnatarum sororum ornamenta, & suppellectilem, & servos, atque etiam liberos, immensis pretiis vendidisset: invitatus lucro,

quidque instrumenti veteris aulæ erat, ab Urbe repetiit: comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis, & pistrinensibus jumentis: adeo, ut & panis Romæ sæpe deficeret & litigatorum plerique, quòd occurrere absentes ad vadimonium non possent, causâ caderent. Cui instrumento distrahendo nihil non fraudis ac lenocinii adhibuit: modò avaritiæ singulos increpans, & *quòd non puderet eos locupletiores esse, quàm se*: modò pœnitentiam simulans, quòd principialium rerum privatis copiam faceret. Compererat provincialem locupletem ducenta H. S. numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur, nec tulerat molestè tam magno æstimari honorem cœnæ suæ. Huic postero die sedenti in auctione misit, qui nescio quid frivoli ducentis millibus traderet: diceretque *cœnaturum apud Casarem, vocatu ipsius*.

40. Vectigalia nova atque inaudita, primùm per publicanos, deinde quia lucrum exuberabat, per centuriones tribunósque prætorianos exercuit: nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributum aliquid imponeret. Pro eduliis, quæ totâ Urbe venirent, certum statumque exigebatur. Pro litibus atque judiciis ubicumque conceptis, quadragesima summæ, de qua litigaretur: nec sine pœna, si quis composuisse vel donasse negotium convinceretur. Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava, ex capturis prostitutarum quantum quæque uno concubitu mereret. Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, & quæ meretricium, & qui lenocinium fecissent: nec non matrimonia obnoxia essent.

41. Hujusmodi vectigalibus indictis, neque propositis, cum per ignorantiam scripturę multa commissa fierent, tandem flagitante Populo Romano proposuit quidem legem: sed & minutissimis litteris, & angustissimo loco: uti ne cui describere liceret. Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in palatio constituit: distinctisque & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matronę ingenuique starent. Misit circum fora, & basilicas nomenclatores ad invitandos in libidinem juvenes senesque: præbita advenientibus pecunia funebris, appositique qui nomina palam subnotarent, quasi adjuvantium Cæsaris reditus. Ac ne ex lusu quidem aleę compendium spernens, plus mendacio atque etiam perjurio lucrabatur. Et quondam proximo collusori demandatã vice suã progressus in atrium domus, cum prætereuntes duos equites Romanos locupletes sine morã corripere, confiscarique jussisset: exultans rediit, gloriãnsque numquam se prosperiore aleã usum.

42. Filiã verò natã, pauperitatem, nec jam imperatoria modò, sed & patria conquerens onera, collationes in alimoniam atque dotem puellę recepit. Edixit & strenas ineunte anno se recepturum: stetitque in vestibulo ædium Kalend. Januariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat. Novissimè contrectandę pecunię cupidine incensus, sæpe super immensos aureorum acervos patentissimo diffusos loco, & nudis pedibus spatatus, & toto corpore aliquandiu volutatus est.

43. Militiam resque bellicas semel attigit, neque ex destinato, sed cum ad visendum nemus flumenque Clitumni Mevaniam processisset: admonitus de supplendo numero Batavorum quos circum se habebat, expeditionis Germanicæ impetum cepit: neque distulit, sed legionibus & auxiliis undique excitis, delectibus ubique acerbissimè actis, contracto & omnis generis commeatu quantum nunquam alius, iter ingressus est: confecitque modò tam festinanter & rapidè, ut prætorianæ cohortes contra morem signa jumentis imponere, & ita subsequi cogerentur: interdum adeò segniter & delicatè, octophoro veheretur, atque à propin quarum urbium plebe verri sibi vias, & conspergi propter pulverem exigeret.

44. Postquam castra attigit, ut se acrem & severum ducem ostenderet, legatos, qui auxilia ferius ex diversis locis adduxerant, cum ignominia dimisit. At in exercitu recensendo, plerisque centurionum maturis jam, & nonnullis ante paucissimos quàm consummaturo essent dies, primus pilos ademit, caussatus senium cujusque & imbecillitatem: cæterorum increpitâ cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad sex millium summam rescidit. Nihil autem ampliùs quàm Adminio Cinobellini Britannorum regis filio, qui pulsus à patre, cum exigua manu transfugerat, in deditioem recepto: quasi universâ traditâ insulâ, magnificas Romam litteras misit: monitis speculatoribus, ut vehiculo ad Forum usque & Curiam pertenderet, nec nisi in æde Martis, ac frequente senatu, Consulibus traderent.

45. Mox deficiente belli materiâ, paucos de custodia Germanos trajici, oculique trans Rhenum jussit: ac sibi post prandium, quàm tumultuosissimè adesse hostem nuntiari. Quo factò, proripuit se cum amicis & parte equitum prætorianorum in proximam silvam, truncatisq; arboribus, & in modum tropæorum adornatis ad lumina reversus, eorum quidem qui secuti non essent, timiditatem & ignaviam corripuit: comites autem & participes victoriæ, novo genere ac nomine coronarum donavit: quas distinctas Solis ac Lunæ siderumque specie, *exploratorias* appellavit. Rursus obsides quosdam abductos è litterario ludo, clamque præmissos, deserto repente convivio cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit: in hoc quoque mimo præter modum intemperans. Repetitâ cœnâ renuntiantes coactum agmen, sicut erant, loricanos ad discumbendum adhortatus est. Monuit etiam notissimo Virgilii versu, *Durarent, secundisq; se rebus servarent.* Atque inter hæc absentem senatum populumque gravissimo objurgavit edicto, *quòd Casare praliante, & tantis discriminibus objecto, intempestiva convivio, circum, & theatra & amœnos secessus celebrarent.*

46. Postremò, quasi perpetraturus bellum, directâ acie in litore Oceani, ac ballistis machinisque dispositis, nemine gnaro ac opinante quidnam cœpturus esset, repente ut conchas legerent, galeasque & sinus replerent, imperavit: *spolia Oceani* vocans, *Capitolio Palatioque debita.* Et indicium victoriæ altissimam turrem excitavit:

ex qua , ut ex Pharo , noctibus ad regendos navium cursus, ignes emicarent : pronuntiatóque militi donativo, centenis viritim denariis , quasi omne exemplum liberalitatis supergressus : *Abite* , inquit, *lati* , *abite locupletes.*

47. Conversus hinc ad curam triumphi , præter captivos & transfugas barbaros , Galliarum quoque procerissimum quemq; , & ut ipse dicebat, \* ἀξιολογέταμυεδόν, ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam: coëgitque non tantum rutilare , & submittere comam, sed & sermonem germanicum addiscere , & nomina barbarica ferre. Præcepit etiam triremes , quibus introierat Oceanum , magna ex parte itinere terrestri Romam devehí. Scripsit & procuratoribus, *Triumphum appararent quàm minimâ summâ; sed quantus numquam alius fuisset : quando in omnium hominum bona jus haberent.*

48. Priúsquam provinciã decederet, consilium iniit nefandæ atrocitatis , legiones , quæ post excessum Augusti seditionem olim moverant , contrucidandi : quod & patrem suum Germanicum ducem , & se infantem tunc obsedissent. Vixque à tam præcipiti cogitatione revocatus , inhiberi nullo potuit modo quin decimare velle perseveraret. Vocatas itaque ad concionem inermes , atque etiam gladiis depositis , equitatu armato circumfedit. Sed cum videret, suspecta re , plerosque dilabi ad resumenda , si qua vis fieret , arma , profugit concione : confestimque Urbem petiit , deflexã omni

*Dignum qui in triumpho ducatur.*

acerbitate in Senatum, cui animadvertendos tantorum dedecorum rumores palàm minabatur: querens inter cætera, fraudatum se justo triumpho, cum ipse paullo ante, ne quid de honoribus suis ageretur, etiam sub mortis pœna denuntiaffet.

49. Aditus ergo in itinere à legatis amplissimi ordinis, ut maturaret orantibus, quàm maximâ voce, *Veniam, inquit, veniam, & hic mecum*: capulum gladii crebrò verberans, quo cinctus erat: Edixit & *reverti se, sed iis tantum qui optarent equestri ordini & Populo: nam seneque civem neque principem senatui ampliùs fore.* Vetuit etiam quemque Senatorum sibi occurrere: atque omisso, vel dilato triumpho, ovans Urbem natali suo ingressus est. Intrâque quartum mensem periit, ingentia facinora ausus, & aliquantò majora moliens. Siquidem proposuerat, Antium, deinde Alexandriam commigrare, interempto priùs utriusque ordinis electissimo quoque. Quod ne cui dubium videatur, in secretis ejus reperti sunt duo libelli, diverso titulo: alteri *GLADIVS*, alteri *PVGIO* indexerat. Ambo notas & nomina continebant morti destinatorum. Inventa & arca ingens, variorum venenorum plena: quibus mox à Claudio demerfis, infecta maria traduntur non sine piscium exitio, quos enectos æstus in proxima litora eiecit.

50. Staturâ fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maximâ cervicis & crurum, & oculis & temporibus concavis, fronte latâ & torvâ, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirsutus cætera. Quare

transeunte eo, prospicere ex superiore parte, aut omninò quacumque de caussa *capram* nominare, criminofum & exitiale habebatur. Vultum verò naturâ horridum ac tetrum etiam ex industriâ efferabat, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem. Valetudo ei neque animi neque corporis conftitit. Puer comitali morbo vexatus: in adolefcentia ita patiens laborum erat, ut tamen nonnunquam fubitâ defectione ingredi, ftare, colligere femet ac fufferre vix poffet. Mentis valetudinem & ipfe fenferat: ac fubinde de feceffu déque purgando cerebro cogitavit. Creditur potionatus à Cæfonia uxore, amatorio quidem medicamento, fed quod in furorem verterit. Incitabatur infomnia maximè: neque enim plus quàm tribus nocturnis horis quiefcebat: ac ne his quidem placidâ quiete, fed pavidâ miris rerum imaginibus: ut qui inter cæteras, pelagi quondam fpeciem colloquentem fecum videre vifus fit. Ideoque magna parte noctis vigiliæ cubandique tædio, nunc toro refidens, nunc per longiffimas porticus vagus, invocare identidem atque expectare lucem confueverat.

§ 1. Non immeritò mentis valetudini attribuerim diverfiffima in eodem vitia, fummam confidentiam, & contra nimium metum. Nam qui deos tantoperè contemneret, ad minima tonitrua & fulgura connivere, caput obvolvere, ad verò majora proripere fe è ftrato, fub lectumque condere folebat. Peregrinatione quidem Sicilienfi, irrifis multorum locorum miraculis, repente à Meffana noctu profugit, Ætnei verticis fumo ac murmure pavefactus. Adverfus Barbaros quoque minaciffimus,

cum trans Rhenum inter angustias densumque agmen iter effedo faceret, dicente quodam, *Non mediocrem fore consternationem, sicundè hostis appareat*, equum illicò conscendit: ac properè versus ad pontes, ut eos calonibus & impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ, per manus ac super capita hominum translatus est. Mox etiam audità rebellione Germaniæ, fugam & subsidia fugæ, classes apparabat: uno solatio acquiescens, transmarinas certè sibi superfuturas provincias, si victores Alpium juga, ut Cimbri, vel etiam Urbem, ut Senones quondam, occuparent: unde credo percussoribus ejus postea consilium natum, apud tumultuantes milites ementiendi ipsùm sibi manus intulisse, nuntio malæ pugnæ perterritum.

52. Vestitu calceatùque, & cætero habitu, neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem, ac denique humano, semper usus est. Sæpè depictas gemmatasque indutus pænulas, manuleatus & armillatus in publicum processit: aliquando sericatus, & cycladatus: ac modò in crepidis vel cothurnis, modò in speculatoria caliga, nonnumquam focco muliebri: plerùmque verò aurèa barbâ fulmen tenens, ac fuscinam, aut caduceum, deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus est. triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem assiduè gestavit: Interdum & Magni Alexandri thoracem repetitum è conditorio ejus.

53. E disciplinis liberalibus minimùm eruditioni, eloquentiæ plurimùm attendit, quantumvis facundus

& promptus : utique si perorandum in aliquem esset, irato & verba sententiæ suppetebant : pronuntiatio quoque & vox, ut neque eodem loci præ ardore confisteret, & exaudiretur à procul stantibus. Peroraturus *stricturum se lucubrationis suæ telum*, minabatur : leniùs comptiùsque scribendi genus adeo contemnens, ut Senecam tum maximè placentem, *commissions meras* componere, & *harenam esse sine calce* diceret. Solebat etiam prosperis oratorum actionibus rescribere, & magnorum in Senatu reorum accusationes defensionésq; meditari : ac, prout stylus cesserat, vel onerare sententiâ suâ quémque, vel sublevare : equestri quoque ordine ad audiendum invitato per edicta.

54. Sed & aliorum generum artes studiosissimè, & diversissimas exercuit, Threx & auriga, idem cantor, atque saltator. Batuebat pugnatoriis armis, aurigabat exstructo plurifariam circo. Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quò minùs & tragædo pronuntianti concineret : & gestum histrionis quasi laudans vel corrigens palàm effingeret. Nec alia de causâ videtur eo die quo periit, pervigilium indixisse, quàm ut initium in scenam prodeundi licentiâ temporis auspicaretur. Saltabat autem nonnunquam etiam noctu : & quondam tres consulares secundâ vigiliâ in palatium accitos, multaque & extremâ metuentes super pulpitem collocavit : deinde repentiè magno tibiaram & scabellorum crepitu, cum palla tunicâque talari profiluit,

ac defaltato cantico abiit. Atque hic tam docilis ad cætera, natate nesciit.

55. Quorum verò studio teneretur, omnibus ad insaniam favit. Mnesterem pantomimum etiam inter spectacula osculabatur: ac si quis saltante eo vel leniter obstreperet, detrahi jussum manu suâ flagellabat. Equiti Romano tumultuanti, per centurionem denunciavit abiret sine mora Ostiam, perferretque ad Ptolomæum regem in Mauritaniam codicillos suos. Quorum exemplum erat: *Ei, quem istuc misi, neque boni quidquam neque mali feceris.* Thraces quosdam Germanis corporis custodibus præposuit. Mirmillonum armaturas rescidit. Columbo victori, leviter tamen faucio venenum in plagam addidit, quod ex eo *columbinum* appellavit. Sic certè inter alia venena scriptum ab eo repertum est. Prasinæ factioni ita addictus & deditus, ut cœnaret in stabulo assidue, & maneret. Agitatori Cythico commissatione quadam in apophoretis vicies H-S. contulit. Incitato equo, cujus causâ pridie Circenses, ne inquietaretur, vicinæ silentium per milites indicere solebat, præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam, & familiam, & supellectilem dedit, quò lautius nomine ejus invitati, acciperentur: consulatum quoque traditur destinasse.

56. Ita bacchantem atque grassantem non defuit plerisque animus adoriri. Sed una alteraque conspiratione detectâ, aliis per inopiam occasionis cunctantibus, duo

consilium communicaverunt, perfeceruntque: non sine conscientia potentissimorum libertorum præfectorumq; prætorii: quòd ipsi quòque, etsi falsò, in quadam conjuratione, quasi participes nominati, suspectos tamen se & invisos sentiebant. Nam & statim seductis magnam fecit invidiam, districto gladio affirmans *spontè se periturum, si & illis morte dignus videretur*: nec cessavit ex eo criminari alterum alteri, atque inter se omnes committere. Cùm placuisset Palatinis ludis spectaculo egressum meridie aggredi, primis sibi partes Cassius Chærea tribunus cohortis prætorix depoposcit: quem Cæjus seniore jam, ut mollem & effœminatam denotare omni probro consuevit: & modò, signum petenti, PRIAPVM aut VENEREM dare: modò, ex aliqua causa agenti gratias, osculandam manum offerre formatam commotamque in obscœnum modum.


57. Futuræ cædis multa prodigia exstiterunt. Olympiæ simulacrum Jovis, quod dissolvi transferique Romam placuerat, tantum cachinnum repentè edidit, ut machinis labefactis opifices diffugerint. Supervenitque illicò quidam Cassius quoque nomine, jussum se somnio affirmans immolare taurum Jovi. Capitolium Capuæ Idibus Martiis de cœlo tactum est: item Romæ cella Palatini atriensis. Nec defuerunt qui conjectarent altero ostento periculum à custodibus domino portendi: altero, cædem rursus insignem, qualis eodem die facta quondam fuisset. Consulenti quòque de genitura sua, Sylla mathematicus *certissimam necem appropinquare* affirmavit.

affirmavit. Monuerunt & \* Sortes Antiatinæ ut à Cassio caveret. Quâ causâ ille Cassium Longinum Asiæ tum Proconsulem occidendum delegaverat, immemor Chæream Cassium nominari. Pridie quàm periret, somniavit consistere se in cælo juxta solium Jovis: impulsûmque ab eo dextri pedis pollice, & in terras præcipitatum. Prodigiorum loco habita sunt etiam quæ fortè illo ipso die paullo priùs acciderant. Sacrificans respersus est \* phœnicopteri sanguine. Et pantomimus Mnester tragœdiam saltavit, quam olim Neoptolemus

*Sortes Antiatina.* Duæ Fortunæ Antii colebantur, altera scilicet *Reducis* nomine, altera *Antiatina*. Utramque in nummo pictam vulgavit & explicavit Fulv. Ursinus, in *Familiis Rom.* præcipuè ex Macrobio, in *Saturnal.* Apud Antium Fortunæ templum erat famosissimum multorum etiam Principum donis ornatum, unde civitas Fortunæ ipsius tutela dicta est, quam sic alloquitur Horatius, *Ode 25. lib. 1.*

*O Diva, gratum quæ regis Antium,  
Præsens vel imo tollere de gradu  
Mortale corpus, vel superbos  
Vertere funeribus triumphos.*

Earum monumentum marmoreum visitur etiamnum Antii, ut scribit Gru-  
terus, pag. 72.



Caligulam Antii natum probat Autor noster, cap. 8. quod omnibus semper locis atque secesibus prælatum non aliter quam natale solum dilexerit. Quare major erat fortassis ipsius erga Sortes Antiatinas religio.



*Phœnicopteri sanguine.* Qualis sit illa avis non satis constat: Porro Plinius, lib. 10. cap. 48. scribit, Phœnicopteri linguam præcipui saporis esse Apicius docuit, nepotum omnium altissimus gurges. Raram illam

admodum fuisse nullum est dubium, cum præsertim Cæsar templum numini suo instituerit excogitatisque hostias, ac inter eas Phœnicopteros, ut supra cap. 22. dictum est.

tragœdus ludis, quibus \* rex Macedonum Philippus occisus est, egerat. Et cum in Laureolo mimo, in quo actor proripiens se ruinâ sanguinem vomuit, ut plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scena abundavit. Parabatur & in noctem spectaculum, quò argumenta inferorum per Ægyptios & Æthiopes explicarentur.

58. Nono Kalendr. Febr. horâ quasi septimâ, cunctatus an ad prandium surgeret, marcante adhuc stomacho pridiani cibi onere, tandem suadentibus amicis egressus est. Cum in crypta, per quam transeundum erat, pueri nobiles ex Asia adedendas in scena operas evocati præpararentur, ut eos inspiceret hortareturque, restitit. Ac nisi princeps gregis algere se diceret, redire ac repræsentare spectaculum voluit. Duplex dehinc fama est: alii tradunt alloquenti pueros à tergo Chæream cervicem gladio cæsim graviter percussisse, præmissâ voce:

Rex Macedonum Philippus. Josephi verba transcripsit Casaubonus paulò diversè sentientis: ομολογῆται δὲ καὶ τῶν ἡμῶν ἐνέκλιον γενέσθαι οὐ ἢ Φιλίππου τὸν ἀμύκτις Μακεδόνων βασιλέα κτείνε πρηνόαντας

εἰς τῶν ἐταίρων, εἰς τὸ θέατρον εἰσόντα. Fuit ille ut propriâ virtute sic filio Alexandro M. notissimus, quare duos ejus argenteos nummos prætermittere nefas ducerem.



*Hoc age.* Dehinc Cornelium Sabinum, alterum è conjuratis tribunum, ex adverso trajecisse pectus: alii, Sabinum, submotâ per conscios centuriones turbâ, signum more militiæ petisse, & Cajo *Jovem* dante, Chæream exclamasse: *Accipe ratum*: respicientique maxillam ictu descendisse. Jacentem, contractisque membris clamitantem se vivere, cæteri vulneribus triginta confecerunt. Nam signum erat omnium, *Repete.* Quidam etiam per obscœna ferrum adegerunt. Ad primum tumultum lecticarii cum asseribus in auxilium accurrerunt: mox Germani corporis custodes, ac nonnullos ex percussoribus, quosdam etiam senatores innoxios, interemerunt.

59. Vixit annis XXIX. imperavit triennio & X. mensibus, diebûsque VIII. Cadaver ejus clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo femiambustum levi cespite obrutum est: postea per forores ab exsilio reversas erutum, crematum, sepultumq;. Satis constat, priûs quàm id fieret, hortorum custodes umbris inquietatos: in ea quoque domo in qua occubuerit, nullam noctem sine \* aliquo terrore transactam donec ipsa domus incendio consumpta sit.

*Aliquo terrore.* Vides territamenti speciem quâ plus dæmon quàm Deus indigitatur. Exstant tamen inter meos nummi duo rarissimi, quibus Cæjus sub habitu Jovis inter pleiades conspicitur. Cave credas illos post ejus mortem cufos consecrationem indicare, cùm illius omniumque Cæsarum memoriam abolendam, diruendâque templa quidam in

senatu censuerint, ut scribit Autor noster, cap. ult. Mallem eos referre ad hunc cap. 22. locum. Quidam eum *LATIALEM JOVEM* consulutaverunt. Templum etiam numini suo proprium & sacerdotes & exco-gitatisimas hostias instruit. In templo simulacrum stabat aureum iconicum, &c. quale fortè nummis expressum est: quod Caji superbiæ mirè covenit.

Periit una & uxor Cæsonia, gladio à centurione confossa:  
& filia parieti illisa.

60. Conditionem temporum illorum etiam per hæc existimare quivis possit. Nam neque cæde vulgatâ, statim creditum est. Fuitque suspicio, ab ipso Cajo famam cædis simulatam & emissam: ut eo pacto erga se hominum mentes deprehenderet. Neque conjurati cuiquam imperium destinaverunt. Et senatus in asserenda libertate adeò consensit, ut Co s s. primò non in curiam, quia Julia vocabatur, sed in Capitolium convocarent. Quidam verò sententiæ loco abolendam Cæsarum memoriam ac diruenda templa censuerunt. Observatum autem notatùmque est in primis, Cæsares omnes, quibus Caji prænomen fuit, ferro periisse, jam inde ab eo qui Cinnanis temporibus sit occisus.

